

11
A
6671



Tomus XIII
Miscellanea Philoby.

[Faint handwritten signature or initials]

The
Diff
Gr
J
M
P
E
P
C
S
A
E
C
E
E
D
C
J
E
T
P
G
E



87. 89
DEO TER OPT. MAX. ANNUENTE,

Et

Amplifs. Facult. Philosoph. Consentiente,

PRÆSIDE

Excellentiss. atq; Praclariss.

VIRO

DN. M. CHRISTOPHORO
NOTNAGELIO, SUPER. MATHEM.

Prof. Publ. Celeberrimo, Domino ac Patrono suo o-
mni reverentiæ cultu æternum colendo,
honorando,

DISCURSUM

ASTROLOGICUM

Exercitii Academici causa

In Illustri Leucorea

ANN. DOM. MDCLII

D. XXII. APR.

In Auditorio Majori examini

publico presentat

CHRISTOPH. DANIEL Schreiter

Wurcena Misn. A. & R.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.



VIRO JUVENI
POLITISSIMO, EXIMIO ATQUE ERUDITISSIMO
Dn. DANIELI VOIGTIO
Juris Utriusque Candidi
meritissimo

AMICO OPTIMO.

*Hocce Exercitium Academicum
sacrum nuncupat*

A. & R.





ANTELOQUILIM.

Vix artem reperiri posse existimo, *lib. de Di-*
verba sunt Peuceri, cui omnes ita *vin.*
insultent ac Astrologiæ. Sic e-
nim serres habet cum divinationibus, ut si
in minimis fallant, tota ars propterea va-
na esse arguatur, & aliqui vitiis suis artem
in abusum retorquent, quod nimis super-
stitiose Astris fidem habent. Solet enim
fieri, inquit Ptolomæus, ut quod pauci
assequi possunt, id in multorum repræ-
hensionem incurrat. Nihil ominus
tamen illi certe omne tempus, o-
mnemq; operam perdunt, qui in id toti
sunt, ut si non veritati, tamen dignitati
Astrologiæ aliquid detrahant. Quid
quæso aliud consecutus est Picus Miran-
dulanus, Vir talis extra controversiam
admirandæ eruditionis, quam quod suam

*Defens.
Astr. p. 15.*

in Astronomia & Astrologia pariter omnino ignorantiam universo doctorum Orbi prodiderit? Ut non male Junctinus scribat, in libris, quos contra Astrologiam ediderit, se non videre nisi arrogantiam & petulantiam, & præter verborum ornatum nihil boni contineri. Ita sane est. Refutavit Astrologos? nihil minus unquam quicquam consecutus est. Cerberos nos fingere, ipse Nobis affingit, qui nullibi locorum nisi in ipsius cerebello existunt. Strenuè cum illis luctatur, quorum capita miser amputare desudat. Mirandulano figmenta sunt atq; Chimæricum quid Caput & Cauda Draconis, Pars Fortunæ &c. Mirum profecto! Sint non Planetæ? sint non stellæ? Anne ergo plane nihil sunt? num propterea figmenta? Nequaquam. Astrologis qui contradicere audet, Astrologus ipse sit necesse est. Galenum qui refutare tentat, ille sane rerum Medicarum ignarus non sit. Non nisi Sutor, isq; Artifex de crepidis judicare potis est.

Sed



Sed abundet Mirandulanus suo sensu: fit sapiens qui solus sapere sibi videtur. Animus est nobis quasdam non nisi Exercitii Academici gratia theses Astrologicas proponere, atque in iis nos exercere. Sit ergo

THES I.

Astrologia est scientia quæ effectus stellarum scrutatur. Vox Astrologiæ ab ἀστρολογέω originem ducit, idemque significat ac astra seu sidera noscendi & dijudicandi studium, Cic. de div. τὸ ἀστρον Latini sidus appellitant, quod ferme in Latinum degeneravit, & indifferenter de stellis dicitur, sive sint fixæ, sive erraticæ. Communiter tamen, ut & Græci distinguunt inter ἀστὴρ & ἀστρον: ut illud unam saltem stellam quamcumq;: Hoc vero, quo Latinum sidus tendere videtur, stellarum conjunctionem significet.

TH. II.

Definitio constat genere & differentia. Illud est scientia. Cum enim Astrologia Matheseos, quæ in se tota scientifica est, propria pars statuatur; Ideo absq; implicatione fieri non potest, ut per aliud genus quàm per scientiam rectè definiatur.

Differentia exprimitur reliquis verbis definitionis: quæ desumpta est ab ipso Astrologiæ objecto, quod est stellarum effectus ~~scilicet~~. Scrutatur autem effectus mediante motu, ratione cuius ita restringitur objectum, ut nullius disciplinæ quam Mathematicæ proprium ac genuinum esse possit.

TH. III.

Dividitur vero in Meteorologicam & Genethliacam. Missa priore, posteriorem nostram facimus, ac dispecimus in partem generalem & specialem. Generalis describit accidentia in genere, quænam & qualia futura. Specialis occupata est circa eventuum tempora, annos, menses, dies &c.

TH. IV.



TH. IV.

Formatio Thematis, quæ huc refertur, siue illa fiat secundum modum æqualem, siue rationalem adeo difficilis non est, & passim in Doctorum libris proponitur. Erigitur autem primo Thema aliquod ad tempus oblatum, & observatum à Parentibus. Ubi tamen & hoc sciendum, quod non illud sit verum tempus genituræ, quo Infans in hanc lucem editus, Patri à gratulabundis Obstetricibus in ulnis offertur: Sed quando aerem incipit attrahere & respirare. Fit enim non raro, ut parturientes graviter per longum temporis spatium laborent, uti ejusmodi exempla refert Johannes Wirtichius, Medicus Arnstadiensis in tr. *tröstlicher Unterricht* edito Anno 1579. in quo refert quandam per integrum quadragesimale in partu laborasse. Dato igitur eo casu Astrologus non errabit, si temporis annotationem ad medium Nativitatis tempus, quantum fieri potest, dirigat. Nam Puer tunc nasci dicitur, cum aerem attrahit, extra Matris uterum. Card. Aph. Astr. seg. 1. §. 26. Cum autem Horologiis nostris indubitanter fidere nunquam possumus, sed sæpissime fallant, prima cura erit exacte & præcise verum tempus aliunde investigare, beneficio scilicet Correctionis, si qua Thema indigeat.

TH. V.

Correctionis vero hujus modus duplex est: à priori & posteriori. Ille est & dicitur per Animodar, quando videlicet ex Planeta dominante signo ac loco Conjunctionis vel Oppositionis luminarium, genituram immediate præcedentis, verum gradum Horoscopi inquirimus. II. Per Trutinam Hermæ, ab Hermete Trismegisto ita dicta, rerum cœlestium antiquissimo Scriptore, Mosis coætaneo, secundum quosdam. Estque illud examen, quo tempore conceptionis, quod cum tempore Partus cognationem habet, tempus Partus æstimatum expenditur, & num accurate observatum vel non sit, primum consideratur, postea vero si error admissus, corrigitur.

TH. VI.

TH. VI.

Certa satis in se est hæc Correctio, præsertim in illis genituris, quæ naturali & medio modo, absq; adjumentis & impedimentis externis absolvuntur, atq; ideo perfectæ dicuntur. Sunt autem varia, imo ferme innumera, quæ prægnantium partum non nunquam accelerant, non nunquam impediunt & retardant. Inde est, quod in hoc modo corrigendi difficultas haut levis occurrat, ac propterea tanquam imperfecta à multis, inq; hac arte magnis Viris sit rejecta. A qua tamen imperfectione vindicatam profus nobis promisit Clarissimus quondam Astrologus Lipsiensis, WILHELMUS AVIANUS, qui multum operæ & laboris huic Trutinæ rectificandæ impendit: quæ tamen cum Instauratore suo ac Rectificatore denuo quasi emortua est: ab Hæredibus senim ejus asservatur, nemini copia saltem videndi, omnibus desiderium conceditur.

TH. VII.

Quanquam SCHONERUS his modis verificandi non multum tribuat, plus eos erroris habere arguens, quam certitudinis. Nos tamen non plane eos negligimus sed jungimus illi, qui fit per Nati accidentia; quia in Thematibus recentiorum Natõrum corrigendis, ob defectum notabilium accidentium alius, isq; certior, nondum est inventus. In Adultiorum vero confirmationis atq; majoris certitudinis gratia admittimus. Schon. in Op. Astr. p.m. 56. & 58. Orig. p. 1. Eph. 2. c. 12. p. 371.

TH. VIII.

Hic est, quando ex effectu seu accidente notabili verum Horoscopi gradum investigamus: Estq; multo commodior, facilior, imo prioribus certior, est etiam rationi magis consentaneus, propterea quoq; ab Astrologis fere omnibus, si in promptu sunt & haberi possunt accidentia Nati, primario adhibetur. Ita eum commendant Junctinus, Cyprianus Leovitius, Johannes Stadius, Valentin. Nabod. in Comment. supra Alkabitium, diff. 4. Schõnerus l. c. Orig. aliique.

TH. IX.



TH. IX.

Ideoq; non arbitraria, sed maximè necessaria est Thematum correctio: nisi enim punctum genituræ exactè constet, facilis erit collectio, quam lubrico fundamento, tum generale, tum speciale iudicium nitatur: plerumq; enim Horoscopo per correctionem quidam gradus vel demendi vel addendi.

TH. X.

Sub iudicium Astrologicum veniunt certa quædam puncta cœlestia, quæ aliquid significant, cuiusmodi sunt 1. Domus. 2. Planetæ. 3. Eorum Antiscia & Aspectus. 4. Signa. 5. Partes Fortunæ à Sole in Lunam, & à Luna in Solem. 6. Caput & Cauda Draconis. 7. Stellæ fixæ nobiliores. 8. Eclipses.

TH. XI.

DOMUS est certum in cœlo spatium, quo stellæ ad tempus commorantes operationes & significationes diversas habent. Græcis dicuntur *νοῦα* mansiones. Item Cuspides, quo tamen nomine non tam ipsa Domus, seu totum illud spatium, quam ejus initium & summitas venire solet. Dividuntur autem in Angulares, Succedentes, Cadentes, Ascendentes, Descendentes, Orientales, Occidentales, Septentrionales, Meridionales &c. quæ divisiones utiq; in iudicio rectè formando sunt attendendæ. Sic v. g. Aspectus Planetarum ex Angulis validiores sunt atq; efficaciores illis, qui ex Succedentibus.

TH. XII.

Quid Planetæ sint, & quinam illi, omnibus constat. Communiter dividuntur in Maleficos & Beneficos. Malefici sunt ♄ & ♃, quibus æquiparatur ♁ Cauda Draconis. Dicuntur autem Malefici, non quasi tales à Deo ratione essentia creati essent: Deus enim quæcunq; fecit, fecit valde bona, imò optima, nec ullum malum, quæ tale, in Mundo est, quod Deum creatorem suum nominet Sap. I, 14. Ita quoq; Astrologi tenent, quod hæc corpora cœlestia ex natura sua mala nequaquam sint, sed per accidens effectus

ctus malos habent, quatenus post lapsum ejusmodi dishar-
monia inter Hominem, Planetas, ut & reliquas creaturas,
subsecuta est. Cœlum sane nobis non semper idē virtute sua,
sicut in principio creationis fuit, sit hodie quandoq; ferreū,
& omnis æther Deo, contra malos militat. Homini enim
non nisi lapso mala accidere possunt: si enim lapsus non
fuisset, non fuisset subiectum malorum capax, nec Astra
quoq; ita influere potuissent. Non minus ei nocuissent
quam v. g. serpentes, aut aliud quippiam nocivum. Ex
peccato itaq; est, quod sidera cœlestia influentiis suis nocent
homini, & terræ nascentibus, quod aeris tempestas affligit
corpora hominum, quod terra non dat fructus ex voto ho-
minum, quod multa sunt venenata & mortifera, quæ natu-
ra poterant esse salutaria. *Baldwin. in Comment. ad Rom.*
3, 20, p. m. 558.

TH. XIII.

Numerus Planetarum Septenarius nobis sufficiens est:
non ultra hos septem ♄ ♃ ♂ ♁ ♁ ♁ ♁ & extendendus. Non
equidem ignoramus plures, beneficio perspicillorum, stel-
las detectas esse, de quibus legatur Kepplerus, quæ licet cir-
ca Planetas conspiciantur, an vero propterea statim Pla-
netis proprie sic dictis annumerandi veniant, utiq; dubito:
sunt enim nihil aliud, quam Satellites Planetarum, quibus
stipati sunt. Ita cum ♄ duæ: cum ♁ quatuor. Addo ta-
men & hoc, harum stellarum operationes non ita eviden-
ter, ut Planetarum, omnibus sunt probatæ. Malumus er-
go hac in parte Astrologorum antiquissimorum vestigia le-
gere.

TH. XIV.

Male fit à quibusdam, qui singulos Planetas singulis
metallis præficiunt. Soli aurum ascribunt, Jovi stan-
num, Marti ferrum, Saturno plumbum, Mercurio argen-
tum vivum, Veneri cuprum, Lunæ argentum. Siquidem
nulla est analogia ratione virtutis & dignitatis inter metalla
perinde ut inter Planetas ratione præstantiæ. Non tamen
hoc tam æquale absurdum est, septem ætatibus hominis
B pecu.

quos proxime accedunt. Origanus equidem parum tribuit Antisciiis, ut mihi videtur, ideoq; paucissimis verbis eorum facit mentionem, & in iudicio formando eorum rationem non habet, cum tamen negligenda neutiquam sint, siquidem notabile accidens Nato inferunt, pro natura sui Planetæ v.g. si Horoscopus per directionem venit ad Antiscium Hi & Jis aut Anaretæ, utiq; Nato periculum mortis minatur.

TH. XVII.

Compertum abunde est, si ejusmodi directiones locorum Hylegialium ad Antiscia Planetarum dirigendo pervenerint, idem ferme operari, ac si ibidem corporaliter sint constituti. Nimiam tamen Junctinus eis virtutem concedit, quantam scilicet ipsis Planetis, quibus illa plane æquiparat, quod fecere & Ægyptii. Nos malumus cum Trapezuntio, qui accurate de Antisciiis scripsit, media via ingredi, & iis secundariam post Planetas operationem adjudicare. Vid Ranzov. p. 25. Pontanus in Centiloq. Prol. 28.

TH. XVIII.

SIGNA cœlestia numeramus duodecim, quorum characteres sunt sequentes. γ δ ϵ ζ η θ ι κ λ μ ν ξ Keplerus in l. de stella serpent. affirmat duo potissimum genera hominum fuisse, quæ in hæc formas ita diviserint, Agricolas videlicet & Nautas. Affert etiam aliquas rationes Johannes de sacro Busto, in libello de ratione anni, quare his nominibus appellentur, quæ ibi legi possunt. Quanquam autem sint imagines cœli, quæ voluntate hominum finguntur; tamen effectus stellarum, tali figura designatarum experimento quoq; sunt cogniti.

TH. XIX.

Sequitur PARS FORTUNÆ. Nullus equidem hoc loco locus Fortunæ, de qua multa Philosophi Gentilium fabulati; ita ut vere Cicero dixerit: Error & cœcitas & ignorantia rerum atq; causarum Naturæ ac Fortunæ nomina induxit, vid. Moynæus de V. R. p. 194. Nam casus & fortuna sunt humanæ ignorantiae voces, inquit August. l. 7.

B 2

de

de C.D.c.9. Et T.7.lib.1.c.1. Retract. inquit. In tribus libris
meis (scilicet contra Academicos) non mihi placet toties
me appellasse Fortunam, quamvis non aliquam Deam
voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum even-
tum vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis.
Sed nobis hoc loco Pars Fortunæ nihil aliud est, quam quæ-
dam mixta lux & uino lucis duorum Luminarium,
scilicet Solis ac Lunæ, non quidem simpliciter, sed ista
lux sic accepta ad tantam distantiam, in ea proportione,
qua se Sol & Luna habent, & è contra. Solent Astrologi
hoc caractere ☉ notare. Inde error Mirandulani, cu-
jus supra fecimus mentionem, oppido fit manifestus, qui
partem Fortunæ commentum Astrologorum, extraq; eo-
rum Cerebrum nihil esse affirmabat.

TH. XX.

Cauda & Caput Draconis quid sit, ex Astronomicis
doceri debet. Sunt autem nihil aliud quam certa quædam
puncta in quibus Eccentricus Lunæ Eclipticam intersecat,
quæ Nodi appellantur, ex quibus ille qui Lunam ab Eclie-
ptica in Septentrionalem latitudinem ducit, Nodus ascen-
dens seu Caput Draconis vocatur, & hoc caractere usitato
♁ pingitur. Hic qui Lunam ab Ecliptica in Australem
latitudinem abducit, Nodus Descendens seu Cauda Draco-
nis dicitur, cujus Character talis ♁. Videantur Astronomi.

TH. XXI.

Cæterum & stellæ fixæ imprimis observandæ sunt.
Fit enim non raro, ut aliqua genitura respectu Planetarum
debilium aut in abjectis locis constitutorum, sit nullius
momenti: Bona tamen fit ac rursus erigitur valde ab his
stellis. Non autem promiscue omnes sunt adhibendæ, sed
saltem nobiliores ac notabiliores, ut I. quæ sunt primæ
& secundæ magnitudinis cum ☉, ☽, Horoscopo & culmi-
ne cœli. II. Boreales seu septentrionales latitudinem in-
tra 8. gradus habentes, ex Tabula septentrionali apud Ori-
ganum, primario respectu nostri: nobis enim sunt effica-
ciores, qui inhabitamus plagam septentrionalem: secun-
dario

dario ex tabula stellarum Meridionalium, quæ etiam suum
habent effectum, gradu tamen remissiori. III. Quæ sunt
cum reliquis Planetis ejusdem naturæ, utut sint magnitu-
dinis quartæ, quintæ &c. confortant valde illum Planetam.
IV. Quæ intra latitudinem zodiaci comprehenduntur,
quibusque Planetæ corporeo congressu conjungi
possunt. V. Denique verticales & Horizontales. Si e-
nim Natus aliquam stellam quæ Urbi alicui verticalis est,
(punctum enim verticale pro mutatione Meridiani semper
mutatur, siquidem locus qui v. g. 4. mill. Witteberga di-
stat, potest habere novum Meridianum, & sic etiam novum
verticale Punctum) in suo Themate verticalem habeat,
quod si eò se conferat, bona ibi expectare poterit. Ho-
rizontales sunt, quæ Horizontem stringunt.

TH. XXII.

Non negligendæ quoque sunt in iudicio perfecte for-
mando Eclipses, de quibus tamen prolixè hac vice agere
animus non est, nec instituti ratio permittit. Videatur
Goclenius in Acrotel. p. m. 58.

TH. XXIII.

Hæ ergo sunt illæ stellæ seu puncta cœlestia, ex qui-
bus Themati inscriptis, & inter sese probe trutinatis atque
consideratis, Astrologi iudicium formant, de rebus seu acci-
dentibus quæ Natus vel timere vel sperare possit. Perti-
nent autem illa vel ad internas Nati qualitates, vel extrin-
secus accedunt, Orig. p. 1. p. 607.

TH. XXIV.

In ipso Nato sunt valetudo, ingenium, mores, tempe-
rumentum, delectatio, gaudium, Liberi, morbi &c. Extra
Eum sunt, Fratres, Sorores, divitiæ, honor, hæreditas,
conjugium, itinera, Amici carceres. Quæ omnia compre-
hensa sunt his versiculis.

Vita Lucrum, Fratres, Genitor, Nati, Valetudo.

Uxor, Mors, Pietas, Regnum, Benefacta, Carcer.

B. 3.

TH. XXV.

TH. XXV.

Circa Nati interna notandum, quosdam, qui mitiores sese Astrologis præbent, concedere ea venire sub iudicium Astrologicum: dubium ipsis saltem est de LIBERIS, an videlicet illis annumerandi, an vero potius quæ extra Natum? Dicunt enim liberos esse Parentum effectum, qui semper est extra causam positum, adeoque realiter diversus, inde quia liberi realiter distincti à Parentibus, non posse eos referri inter interna Nati.

TH. XXVI.

Verum I. quanquam hæc suo modo vera sint, & admitti possent: nos enim non magnopere laborabimus ad quam partem liberi sint referendi, modo nobis concedatur posse & debere Astrologum de illis respondere. Sed cum illi ipsi contrarium sentientes aliud intendere videantur, II. dico, si accurate loqui volumus, liberi sunt aliquid plus, quam Parentum effectus, nude ita dictus: siquidem sunt quasi de substantia eorum, caro de carne, cuius quodammodo participes sunt, inde sunt quasi imago Parentum. III. Si considero liberos prout nondum actu existunt, sed adhuc in suis causis latent, omnino referendi ad interna Nati, quatenus attenditur ejus facultas generandi, siquidem ex Themate, & quasi à priori potest cognosci, an Natus sit sterilis an fecundus. Quando vero Liberi actu extra suas causas existunt, tunc lubentissime concedo esse extra Natum, & sic etiam non principaliter in iudicio attenduntur, nisi generaliter saltem, pro conditione Planetæ, qui eorum Significator est.

TH. XXVII.

Aliter tamè sese res habet circa Honores, quos ad externa referimus, cum illi non sint ingenti, sed quicquid Natus honoris habet, illud omne ab aliis habet: Honores enim ei ob præmium virtutis vel laboris extrinsece deferuntur. Est honor, docente Aristotele Eth. i. c. 5. non in ejus potestate cui defertur, sed illius qui eum alteri defert. Accedit & hoc quod ea quæ interna vocamus, omnibus hominibus comperant: Fit autem sæpissime ut multi in gloriæ vitam transigant.

TH. XXIX.



TH. XXVIII.

Cæterum quod externa illa attinet, sunt qui pernegant Astrologum de iis posse respondere ideo, quia sunt extra Natum. Sane si hoc daretur, nimis angustis limitibus circumscriberetur amplissimus atque patentissimus Astrologiæ campus. Contrarium testatur astrorum influxus, qui valde notabilis est & probatus v. g. in Capite de Amicis & Inimicis. Accidit enim non nunquam, ut alter alterum primo etiam aspectu, sine ulla præcedente offensa, ita ad nauseam aversetur, ut eum nequaquam ferre possit.

TH. XXIX.

Eô oculos intendit Poeta qui canit: Non amo Te Volusi nec possum dicere quare, Hoc tantum possum dicere non amo Te. Alius vero è contra, Nescio quod certe est quod me tibi temperat Astrum. Uterq; sane occultam causam amoris subesse arbitratur: Neuter ascribit similitudini morum, vel dissimilitudini: illa enim non semper animorum conjunctionem conciliat, quippe haud posset conquiri, se nescire qui fiat, quod hunc Volusium amare non possit, causa in promptu & manifesta fuisset: Sed hoc ipsum male habet, si vel maxime vellet, non posse tamen eum amare. Interim tamen dum hoc asserimus, nequaquam reliquas causas amoris plane exclusas volumus, ut propinquitatis & necessitudinis vinculum, similitudinem morum, studiorum, ætatis &c. Gaudet similis simili.

*Seni senilis lingua jucundissima est,
Puero puellus: mulier apta mulieri.*

TH. XXX.

Ita è contrario in peregrinis locis quosdam offendimus interdum, qui primo intuitu suos erga nos benevolentia stimulos sentiunt, de quibus tamen nobis nihil boni malive promittere potuissemus. Quæ sub est ratio? Exponant, edisserant quæso mihi, si possunt. Nos omnino rationem allegare possumus. Quapropter illi non sunt prorsus culpandi, qui circa conjugium ineundum idem hoc observant, & responsa Astrologorum expetunt, cum v. g.

per-



personæ diversi temperamenti, quod vix melius quam ex
Themate constare potest, amicitiam difficulter contrahere
possint.

TH. XXXI.

Interim ingenere nos Ipsi monemus, sobriè tractan-
dum esse hoc totum studium Astrologicum, & quemadmo-
dum tota Philosophia, non abusa, est singulare DEI donum
hominibus datum: ita non minus nostra scientia, quæ
etiam est pars Philosophiæ nobilissima. Absit omnis im-
pia superstitio, omnis superstitiosa impietas: omnis abu-
sus absit, maneat verus usus. Ethnicam illam qualis fuit
olim Chaldæorum, Arabum, Ægyptiorum, tanquam va-
nam ac impiam nos ipsi proseribimus. Extra cœli spatia
non expatiatur, nec quæ in Astrorum potestate non sunt,
temerarie eis vendicet. Sapiens considerat sidera, sed demû
sapiens est Considerator, si Deum Rectorem devote con-
templatur & adoratur, ut si quid boni stellarum positus denun-
ciat, pie expectet: sin mali quid minatur, Numen iratum
precibus placare sciat.

TH. XXXII.

Deploranda magis est perfidia Gentilium Astrologo-
rum, quam recensenda aut refutanda, qui Diabolicas suas
artes, vel potius fraudes, hoc sancto nomine, non sine in-
signi infamia, ac summa injuria Astrologiæ, venditarunt.
Sed quod nostræ disciplinæ contigit, idem quærentur &
aliæ. Ergo quidam Astrologi damnandi, non vero Ars
ipsa. Non propter rei abusum, omnis verus usus simul est
tollendus. Non Astrologiæ imputandum, Astrologis
quod debetur. Per accidens est, quod quidam magis a-
stra, quam Deum timent. Vox Dei reverenter est audi-
enda: Nolite à signis cœli metuere. Signa sunt, ideoq;
omni timore excusso secure aspici possunt, non Deorum in-
star, more Gentilium debent adorari. Male omnino
fecit Mirandulanus, qui ex hoc oraculo sacro, non satis
recte intellecto, omnem Astrologiam damnare voleit. Nos
non elevamus fidem signorum, injuriam facit Astrologis
Mi

Mirandulanus, nos non securitatem vel desperationem
efficimus. Ultro damnamus illam Astrologiam, si quæ
est contraria veræ pietati. Prudentia sua qui abuitur, non
amplius Prudens est habendus: illa vero recte applicata,
est nihil ominis Dei donum, adeoque magnificienda

TH. XXXIII.

Nostram ergo Astrologiam, prout hodie etiamnum
in florentissimis Academiis docetur, Homini Christiano
intrepide commendare possumus, eandemque legibus Di-
vinis, Imperatoriis & rectæ rationi contrariam esse, con-
stanter pernegamus. Non equidem nos latet, quod qui-
dam eam satis fundatam doceant, in illo Gen. 1. 74. Fiant
Luminaria in Firmamento cœli, & dividant diem ac noctem
& sint in signa, & tempora, & dies & annos, ut luceant in Fir-
mamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita.
Fecitque Deus duo luminaria magna, &c. Non tantum,
dicunt, ibi agi de vicissitudine anni & dierum, sed etiam ex-
presse describi officium Luminarium. Sane Philo Vir do-
ctissimus, iudicio Eusebii & Hieronymi, ita explicat: Factæ
sunt stellæ, inquit, ut Deus ipse ait, non solum ad lucem
emittendam, sed etiam ut futura præsignificent.

TH. XXXIV.

Nolo hac vice Theologorum nostrorum ea de re af-
ferre iudicia. Notabo saltem quæ habet Lutherus
T. 10. Witt. fol. m. 19. ad hunc locum. Aber alhie pflegt
man/inquit, zufragen von den Astrologischen Weissagungen
oder Warnungen/welche etliche aus diesem Text bestenigen und
beweren wollen. Darwider ich/so man es mit masse hätte/nicht
groß fechten wolte. Denn man muß gelehrten Köpfen zu Zeiten
ihre Lust und Kurzweil lassen. Darumb wenn man die Miß-
bräuche und Aberglauben davon liesse/solte michs nicht sonder-
lich ärgern/so sich iemand umb Lust willen in solchen Warsagen
üben wolte.

TH. XXXV.

Nos hujus divini Viri, qui nobis instar omnium The-
ologum, censuram acceptamus, & simul cum Ipso toto pe-
ctore

C



ore omnem abusum, omnemque superstitionem diris de-
vovemus atque execramur. Videmus ergo Lutherum illo-
rum sententiæ non admodum contrarium esse, utut huic
studio propter graviora negotia non multum temporis ac
laboris impendere voluerit. Solebat Philippo hoc uni-
cum frequenter opponere, non posse Astrologos habere
verum tempus genituræ, propterea quod Horologia sapien-
tissime fallant. Nos vero hodie beneficio Correctionum, qua-
rum supra mentionem fecimus, illud exacte & præcise in-
vestigare possumus.

TH. XXXVI.

Leges Imperatoriæ nullibi Astrologiæ interdunt stu-
dium, uti quidem asserit Sixtus Senensis in Bibl. S. p. m.
343. Tantum enim abest, ut potius Principes optimi hujus
artis Professores in gratiam studiosæ Juventutis liberaliter
alant, & magno honore semper prosequantur. Legitur
quidem in Codice titulus de Maleficis & Mathematicis,
quem nonnulli Dupondii imprimis contra nos allegare
solent. Sed quid ille ad nostram Astrologiam? Quid ad
nostros Astrologos? Illi qui tunc temporis Astrologi
vocati, nihil minus quam Astrologi erant. Non enim
Augustissimus Imperator per Mathematicos intelligit, qui
Mathesin atque Artes liberales publice profitentur: illas
potius Reipubl. commendat, dum ab initio tituli expres-
sis verbis ita loquitur: Artem Geometriæ discere, atque ex-
ercere publice, utile est. Idem statuendum de Astologia,
quæ ut Geometria est pars Matheseos, Imo constat ex toto
contextu, quod per Mathematicum non intelligatur alius,
quam qui artem exercet necromanticam, quales sunt Au-
gures, Chaldæi, Magi, quos maleficos ob facinorum ma-
gnitudinem vulgus appellabat, qui Magicis artibus elemen-
ta turbabant, atque pudicos animos ad libidinem flectere
conabantur. Quid quæso nobis negotii est, quid familiare,
vobis cum istis, qui Mathematicorum nomine abutuntur?
Potius dolendum serio est, quod fuerit tanta atque extrema
malitia hominum quorundam, qui honorifico nomine sua

maleficia impune exercuerunt: Coacti fuerunt Imperatores
pestilens hoc genus hominum, ad maleficia unice natura
& damnatum è societate civili expellere.

III. XXXVII.

Fulmen anathematis Conciliabuli Tridentini plane
nos non ferit. Sixtus Senensis testatur illud nullo posi-
to discrimine inter Astromantas, qui vel ex efficientia, vel
ex significatione siderum divinant, eorum omnia scripta
& studia, quæcunque illa sint, indiscriminatim damnasse.
Verba Patrum Tridentinorum hæc sunt. Episcopi ve-
ro diligenter provideant, ne Astrologiæ judiciariæ libri,
tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris
contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis a-
ctionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid
eventurum affirmare audent. In indice volum. à Sy-
nodo Trid. lib. dam. Reg. 9. Idem Senensis cap. 1. pag.
68. refert Astrologiæ libros inter eos, qui nascente
primitiva Ecclesia prohibiti, iisque annumerat, qui Act.
XIX. 19. dicuntur Curiosarum Artium, laudat hanc in rem
Epiphanium & Augustinum.

TH. XXXVIII.

Sed Patres in genere quod attinet, fatemur quosdam
ex illis, (non omnes, siquidem Hieronymus Astrologiam
atque Astronomiam inter scientias utiles refert) non mul-
tum tribuere Astrologiæ, ejusque prædictionibus. Mi-
rum nobis non est, cum eorum quoque ætate, insigni infam-
ia notata fuerit, quia, ut sæpius dictum, gentiles Philo-
sophi impias suas artes hoc nomine libere exercebant.
Erant enim tales Pseudo Astrologi, qui omnium hominum
facta, omniumque quæ eveniunt, rerum causas pro-
tinus è coelo adducere volebant, nec quemquam cavere
sibi posse à vi seu potestate siderum, palam audacter satis
pronunciabant. Stellæ esse quasi tela & arma Fati, cujus
arbitrio efficiantur cuncta: imo ita genituras hominum
Astris alligabant, ut & eorum voluntates illis manciparint.
His itaque merito Patres sese vehementer opposuerunt,
eorumque vitia atque maleficia castigarunt.

C 2

TH. XXXIX.



TH. XXXIX.

Quæ rationi rectæ, circa studium Astrologiæ, contraria videntur, illa conflictui reservamus, ubi animi sensa uberius explicabimus. Monemus obiter saltem hoc, nos non commode posse urgeri exemplis, & in specie Geminarum, Esau & Jacobi. Hoc Exemplum quippe extraordinarium, huc non potest referri, singularis fuit eorum conceptio, mirabilis in utero materno lucta, imo etiam peculiare quid habet partus. 2. Nondum sumus convicti, nondum nobis fuit probatum, eos uno momento natos. Certum est nunquam uno momento nasci Gemellos, sed ut plurimum bene longum temporis spatium intercedit, antequam absolvatur partus. 3. quo posito mirum non est disparilitatem vitæ morum, affectus &c. evenire. Procul dubio enim non habent eundem gradum Horoscopi, imprimis si eo tempore nasci contigit, quo brevium ascensionum signa ascendunt, sic enim signa sepe horoscopus occupant.

TH. XL.

Posito tamen quod in aliquibus exemplis nihil sit extraordinarium, quod uno momento sint nati Gemelli. Ergo quoad naturalem inclinationem amore fraterno alter alterum prosequi potest: Quod si vero fit non, causæ aliæ veniunt allegandæ, externæ scilicet, quæ effectum impediunt. Certum enim est quod solus influxus stellarum non sit sufficiens ad hoc vel illud: requiritur præterea etiam voluntatis assensus, qui inclinationem sequitur atq; externa media, ad hanc vel illam actionem necessaria, accipit.

TH. XLI.

Cæterum influxus stellarum in Hominem omnino notabilis est, earumque operatio longo usu & experientia satis observata & comprobata est. Sophisticum est contradicere manifestæ experientiæ, uti statim Galenus censet. Ex universali influxu non recte negatur specialis. Imprimis vero Luminarium virtus omnib; nota est. Nullus Rusticorū
tam

tam stupidus est, quin & certa tempora suis laboribus se-
ligat. Ligna nunquam in plenilunio, sed Luna decre-
cente, cadit: novit illa ligna hoc tempore caesa, non facile
carie computrescere. Annosa quævis vetula novit, car-
nes Lunæ lumini expositas facilius, quam Solis corrumpi,
illius enim calor mollior est languidior, humores non exic-
cans sed augens. Miraculum naturæ est, quod in genitura
Hominis locus Lunæ tempore partus, ex asse respondet ho-
roscopto conceptionis, & contra. Peritæ Obstetrices exper-
tæ docent, natos in Novilunio vivaces non esse. Tonsores
& Chirurghi influxam Lunæ circa vulnera curanda observant.
Luna facit dies Criticos, quo tempore insignes eveniunt
mutationes & motus humorum, seu ut malum fiat gravius,
seu levius. Qua de re suo loco plura.

TH. XLII.

Inde recte Medici, ad curationem morborum, ad vene-
sectionem, scarificationem &c, certos dies eligunt,
secundum motum Solis & Lunæ. Oportet enim Medi-
cum Astrorum motus & occasus observare: Nam morbi
his maxime judicantur, alii enim perimunt, alii desinunt, aut
in aliam speciem statimque mutantur, inquit Hippoc. l. 3. aph.

TH. XLIII.

Non minus Solis efficacia radiis solaribus descri-
pta omnibus, circa formationem hominis, ejusque par-
tum. Certum est, & extra omnem controversiam par-
tum septimestrem esse legitimum atque vivacem: octime-
strem vero nunquam. Consentunt unanimiter, & amice
Juris Consulti, Medici, Anatomici & Philosophi hac in parte
conspirant. Causam analyticam omnes anxie inquirunt.

TH. XLIV.

Hippocrates hanc rationem affert, quia videlicet Infans
contentiones duas sine debilitate virium ferre non possit,
cum septimo Mense propter conatum exeundi maxime
debilitatus sit, ideo rursus sequente Mense octavo labores
istos sustinere non valeat. Verum hanc genuinam cau-
sam

C 3

sam non esse, exinde Illustris Medicorum Princeps SEN-
NERTUS probat, quod motus septimo Mense non semper
accidat, nec omnem foetum ad egressum septimo Mense mo-
veri, sed saltem eum, qui fortioris sit complexionis, vid.
CL. SPEKL. tr. de form. hom. p. 178.

TH. XLV.

Alubater c. 3. tempore portationis in utero tale sta-
tuit ministerium Planetarum, ut primum Mensem Saturno,
secundum Jovi, tertium Marti, quartum Soli, quintum Ve-
neri, sextum Mercurio, septimum Lunæ assignet, quo Mense
qui in lucem edantur, membris sint perfectis, propter com-
plementum Planetarum. Quod si vero octavo Mense acci-
dat genitura, cum ibi dispositio foetus ad Saturnum redeat,
is autem qualitatibus suis omnibus vitæ principiis repu-
gnet, mirum non esse cito eundem mori. Verum nec
hæc ratio subsistere potest, si vel maxime ex liberalitate sal-
tem tale ministerium Planetarum concedamus, tamen Sa-
turnus primi Mensis, & ita seminis dispositor nullo modo
esse poterit, propterea quia, ut Alubater loquitur, omni-
bus vitæ principiis repugnat: certum autem est, quam pri-
mo in conceptio facta, statim animam semini actu inesse,
ut ita vitæ principium semper adsit: quod si anima abest,
abortus potius nominandus. Fieri itaque non potest, ut Sa-
turnus primo Mense sit vitæ Dispositor, octavo vero Ana-
rta-

TH. XLVI.

Nos vero hujus rei causam Astrologicam cum Aviano
nominamus oppositionem Solis, quando videlicet Sol
occupat locum oppositum ei, quem tempore conceptionis
percurrerat. Verbi gratia, si aliqua conceptio facta fuis-
set 4. Maji, tunc Sol fuit in 23. gr. 8. Ideoque 6. Novemb.
editur Infans Septimestris. Probo hoc ex natura hujus A-
spectus. Tanta enim ejus est virtus & operatio, quæ
omnino sufficit ad edendum partum, quantam non
habet Trigonus, utut alias sit optimus aspectus, ad quem
Mense octavo Sol pervenit, quo tempore quando nascitur
Infans,

Infans, virtus vitalis valde debilitatur, à præcedente op-
positione, quam Trigonus sequitur. Natura autem in il-
lis rebus, quæ partum concernunt, adhibet validissima quæq;
media, non remissa. Quando igitur Octavo Mense In-
fans nascitur, fit hoc vel invita vel errante Natura, vel etiam
aliis causis externis concurrentibus, quarum plurimæ nu-
merantur, tunc utero quidē expellitur partu, sed eo tempo-
re, quo natura destituitur viribus generandi, inde periculo-
sus est ut plurimum etiam Matri. Nono denu[m] Mense qua-
dratus Solis occurrit, cujus accessu cum Infans perfecte sit
elaboratus, non potest Natura aliter, quin felicem genitu-
ram promoveat atque absolvat.

TH. XLVII.

Sunt hæc arcana Naturæ, de quibus sæpe eruditi non
possunt respondere. Multa sciuntur in & ex Astrologia,
ubi sola observatio & experientia jubet acquiescere. Et
omnino sufficit, si non ubique possumus apodictica
proferre argumenta, quod regulæ Astrologicae multis
retro seculis semper probatæ inventæ fuerint. Inde est,
quod quidam nesciant qui fiat, quod hisce Astrologicis re-
sponsis eventus ut plurimum tam exacte respondeat: mi-
sere se torquent nec solidi quicquam habent, quod repo-
nere possint.

TH. XLVIII.

Non tamen semper, prædictionibus eventus respondet?
R: quid mirum quandoq; bonum dormire Homerum? Er-
ror est Astrologi, qui in iudicando lapsus. Errare huma-
num est. Homines sunt & illi, humani à se nihil alienum
putant. Inde recte Ptolomæus: Error quo errant aliqui in
hac scientia, non est ex artis debilitate, sed ejus qui se in-
tromittit ad ea *Quadrip. l. 7. c. 2. 11.* Nonnunquam impeditur
ob concursum causæ supremæ. Inde mirū non est, multa præ-
visa, sive bona sint sive mala non evenire, quando scilicet De-
us singulari providentia concurrat ad actiones hominum,
secundum ejo[us] promissionem vel comminationē piis aut im-
piis factam. Deus omnino potest vitam prolongare, licet
termi-

terminus naturalis adfuerit, de qua prolongatione Ptolemaeus nihil novit, negat Stoicus, ridet Epicurus. Nos qui Christiani, adeoque secundum pietatem ex sacris informati, devote DEI nostri gloriosi clementiam adoramus. Omnia ergo judicia Astrologica sale pietatis Astrologi condiant, verbo DEI temperent, non ita crude apponant. Tribuitur quidem illis certitudo, non tamen prorsus infallibilis, sed probabilis, quae media est inter necessariam absolutam & possibilem.

TH. XLIX.

Deum vero alligare astris, idem est ac Eundem astris subicere. Hinc non immerito improbamus illud Cardani factum, qui Salvatorem nostrum stellarum influxui subiecit, & exinde Ejus vitam, mores, pietatem, imo mortem ipsam, deducere non erubuit. Construxit ille aliquod Schema coeli ad tempus Nativitatis Christi, quod incidit in Annum Octavii Augusti 4 octavo Calend. Jan. ante noctis dimidium, ap latitudinem Urbis Hierosolymae 22. gr. quod videre est ad. Sixt. Sen. in Bibl. S. l. 6. Socium suae impitatis habuit Cardinalem Petrum Aliacum, qui in libro, de legibus & sectis super stella Magis in Oriente conspecta, & in quaestione 30. in Gen. disputat Magos utpote scientiae sideralis peritissimos, potuisse ex Astrologicis contemplationibus praenoscere futuram Christi Nativitatem & vitam, non tamen, addit, ea certitudine qua postea ortum Christi, nova stella praemonstrante, cognoverunt. Similia habet etiam Albertus, suo seculo, Magnus, in libro cui titulum fecit Speculi, quae ibi videri possunt.

TH. L.

Curiosus admodum Astrologus est Cardanus. Habetur in ejusdem centum genituris etiam B. LUTHERI, num XI. cui aliquale iudicium ascripsit. Placet illud adducere, atque videre quid veri falsive insit. Notum enim est quosdam Pontificios ex Themate ac positu coeli, tanquam a priori demonstrare imperitis, fuisse Lutherum omnium vitiorum commune receptaculum, conferantur saltem

saltem Andreae Frusii versiculi apud Gerh. Conf. Cath. T. 1. part. 2. cap. 19. p. m. 885. Nonnulli tamen sunt candidiores, qui hoc Sathanicum studium non approbant. Ad quos etiam ex parte referimus Cardanum. Erasmus, quem insigni elogio exornat Cardanus ipse l. d. p. 117., in Epistola ad Thomam Cardinalem Eboracensem l. 11. Ep. 1. de Luthero ita scribit. Hominis Lutheri vita magno omnium consensu probatur. Jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur. Et in Epist. ad Card. Mogunt. l. 2. Si illi faverem bono viro, quod fatentur & hostes, quæ esset invidia?

TH. LI.

Ab hoste laudari non ultima laus est. Etiam Cardanus non reperit quod calumniatur, quod culparet in Luthero. Sed notandum Cardanum non habuisse verum tempus genituræ, nec etiam Junctinum, qui scripsit Comment. super Ptol. Anno 1581. quem Censuræ Inquisitorum hæreticæ pravitate, post conciliabulum Tridentinum subjecit. Habet idem Thema, idem quoque judicium, iisdem verbis, in eo saltem discrimen est, quod Cardanus secundum modum æqualem; Junctinus vero secundum rationalem illud construxerit.

TH. LH.

Primo putat Cardanus Lutherum natum esse die 22. Octob. Anno 1483. Ita enim præfatur. Hanc (scilicet Anno 1483. d. 22. Octob.) veram genituram, non eam quæ sub Anno 1484 publice circumfertur, esse scito: nec tanto negotio minor genitura debetur, aut tali genituræ minor eventus: existimo autem non intelligentes hujus artis fundamenta eam corrupisse, nam nec illa robore huic æqualis est, nec si damnare velis, deest hic quod possis accusare. Hæc Cardanus. De anno itaque inter nos & Cardanum nulla est controversia; Lis saltem est de Mense atque die. Dico autem Beatum nostrum Lutherum Natum esse Islebiæ Anno 1483. die 10 Nov. Probo hæc I.

D

ex



ex testimonio Matris Lutheri, atque ipsius Fratris. Produco! hanc in rem scriptum Philippi Melancthonae de vita & actis Reverendiss. Viri D. Martini Lutheri, editum à Mathæo Dressero Anno 1598. ubi statim ab initio hæc habentur verba. In Matre Margarita, conjugè Johannis Lutheri, cum cæteræ virtutes erant honestæ Matronæ convenientes, tum vero præcipue lucebant pudicitia, timor DEI & invocatio, intuebanturq; in eam cæteræ honestæ mulieres, ut in exemplar virtutum. Hæc mihi aliquoties interroganti de tempore quo Filius natus est, respondit, diem & horam se certo meminisse, sed de anno dubitare. Adfirmabat autem natum esse die decimo Novembris, nocte post horam undecimam, ac nomen Martini attributum Infanti, quod dies proximus, quo Infans per baptismum Ecclesiæ Dei insertus est, Martino dicatus fuisset. Sed Frater ejus Jacobus, vir honestus, ac integer opinionem familiæ de ætate Fratris hanc fuisse dicebat, natum esse Anno à Natali Christi 1483. Hujusque verba Philippi. II. Ex testimonio ipsius Lutheri. Ille enim propria manu figuram cœlestem descriptam reliquit, ad d. 10. Nov. h. 12. noctis Anno 1483. Cujus picturæ ἀντίγραφον Dn. Christianus Gueinzius, olim Gymnasia Hallensis Rector in sua Bibliotheca sancte asservabat, qui mihi, cujus fidei ac informationi concreditus eram, ex singulari benevolentia, qua me semper prosequabatur, non tantum eopiam videndi, sed & describendi concedebat. Horoscopus erat 15. ♄, 5. In decima 28. ♃, 19. Locus Solis 28. ♀, 6. Jovis 16. ♀, 24. Animus quidem erat hoc Thema secundum regulas ac præcepta Astrologorum Pontificiorum Junctini, Cardani & aliorum examinare. Verum cum pagellarum sit habenda ratio, alio tempore hanc materiam pertractandam suscipiemus.

TH. LIII.

Secundo differit hoc loco Cardanus de incremento & decremento Religionis Lutheri. Notamus ejus testimonium

nium de amplitudine Ecclesie nostrae, suo adhuc tempore. Incredibile, pergit, quantum augmenti brevi tempore habuerit hoc dogma. Nam Germaniae maximam partem adegit, Angliam rotam, multasque alias regiones, cum adhuc vivat, nec ulla est provincia ab hujus sectatoribus immunis, praeter Hispaniam. Fervet Mundus hujus Schismate. Eadem plane verba habet Junctinus Comment. in Ptol. l. 2. c. 15. f. m. 612. Ecce hoc loco excipis, Cardane, Hispaniam? Sane nisi talpa coecior videbis rogos Martyrum adhuc usque diem etiam in Hispania ardeat: illi ipsi toti Orbi clarissimum testimonium perhibent, ibi quoque inveniri & inventos esse Fidei sincerioris constantes Professores & Confessores. Quid sibi vult Inquisitio iniquissima Hispanica? quid inquit nisi Christianorum & Lutheranorum extirpationem? Illa sane est quae aliquot myriades Lutheranorum igne, rota, laqueo ente &c. crudelissime trucidavit. Evolvatur modo Dominicus Bannes de Inquis. Hisp. Johannes Beringeri tr. der Tyrannischen Hispanischen Heimsigkeiten Ambergae ed. Anno 1611. Reginaldi Gonsalvii Montani Practicam der Hispanischen Inquisition. Heidelb. Hasenmull in hist. ord. Jesuit. aliaque quam plurimi.

TH. LIV.

Male facit Cardanus, dum nostrae religionis velocitatem tribuit concursui Martis, ejusque firmitatem conjunctioni Saturni & Solis, cum lance Meridionali: Gentiles olim mutationem religionis astris ascribebant, nescio quorum constellationi, vid. l. Mornaeus de V.R.c. pag. 544. Unice Deo debemus, verbique coelestis virtuti ac efficacia: Quamdiu illud durat, manet autem in aeternum, durabit & nostra religio, quae uti antiquissima, ita impofterum nec portae inferorum adversus eam prevalebunt. Vanissimus ergo Augur est, fuit eritque Johannes Taisnerius qui in Phys. sua pag. 457. Anno 1572. ex astris praedixit religionem Lutheranam intra biennium extirpandam.

TH. LV.



TH. LV.

Tertio quia Cardano de vero tempore non constat, mirum non est falsam provenire conclusionem. Lutherum die 17. Febr. mortuum asserit, annum ignorat. Certum autem est Eum die 18. Febr. h. 3. noctis, die Concordiae Anno 1546. placide in Domino JESU obdormivisse. Interim Cardanus ipse naturali morte Lutherum obiisse ex Themate colligit. Non ergo laqueo desperans perit, ut mentitur Cornelius à Lapide in Comment. 2. Pet. 2. 12. Thomas Bozius designis Ecclesiae 4. 2. hb. 23. cap. 3. provocat iste quidem ad auctoritatem alicujus Famili, quis autem ille fuerit, ipse nescit.

Tantum!

SOLI DEO GLORIA.

Eximio Praestantissimo,

Dn. CHRISTOPH DANIELI SCI REITERO,

SS. Theol. Cultori felicissimo, Amico Suavissimo,

Fautori honorando,

In Astrologicis publicè

disputanti S. P. D.

SCHREITERE, eximiè referens Fratresque Patremque
Præclaros, animæ pars peramica meæ.

Astrorum varios motus mirosque recessus,

Dum lustras: totis coelica bella geris.

Comprecor ex animo, sint hæc TUA prælia fausta!

Astrorum Dominus TE super astra vehat!

Sincero adfectui restando adponeb.

Johann Ernestus Gerhardus,

Jenensis Coll. Phil. Ad.

01 A 6640


ULB Halle 3
003 108 309



Sb.

VD 17







87. 89

DEO TER OPT, MAX, ANNUENTE,
Et
Amplifs. Facult. Philosoph. Consentiente,
PRÆSIDE
Excellentiss. atq; Praclariss.
VIRO
DN. M. CHRISTOPHORO
NOTNAGELIO, SUPER. MATHEM.
Prof. Publ. Celeberrimo, Domino ac Patrono suo o-
mni reverentiæ cultu æternum colendo,
honorando,
DISCURSUM
ASTROLOGICUM
Exercitii Academici causa
In Illustri Leucorea
ANN. DOM. MD CIO LI.
D. XXII. APR.
In Auditorio Majori examini
publico presentat
CHRISTOPH. DANIEL Schreiter
Wurcena Misn. A. & R.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr.

